

FRATER MATTHAEVS ORLANDVS,

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER, AC HVMILIS PRIOR GENERALIS TOTIVS ORDINIS CARMELITARVM ANTIQVÆ OBSERVANTIÆ REGVLARIS.

POSTQVAM A S. D. N. CLEMENTE DECIMO, obtinuimus confirmationem indulgentiarum à se, & à Prædecessoribus suis, Ecclesias nostri Ordinis visitantibus, & confratribus sacræ Scapularis concessarum; nobis indicatum fuit, nonnullos Superiores Ordinis nostri præsertim in partibus vltramontanis, dubitare de valore confraternitatum dicti Scapularis erectarum in nostris Ecclesijs; tum quod in eorum archibijs nulla extent monumenta, quibus constet institutas ante constitutionem Clementis VIII. datam die vij. Nouembris M.DC.IV. fuisse, renouatas modo, & tempore præscriptis in dicta constitutione, tùm quod in pluribus Conuentuum nostrorum à dicta Constitutione fabricatorum, non reperiantur litteræ erectionis præfatæ confraternitatis. Et quamuis præsumendum sit Prædecessores nostros nihil neglexisse eorum, quæ in præfata constitutione præscripta sunt; sed potius eiusmodi litteras innouationis antiquarum, & erectionis nouarum confraternitatum temporum, vel hæresis, vel pestis, aut bellorum, quæ sæpè, & diu in istis partibus sunt grassatæ, perierunt: nihilominus, vt superiores ab istis dubitationibus exhiberemus, ad benignitatem eiusdem Sanctissimi Domini Nostri die sexta huius mensis recurrimus, qui pro summo affectu, quem hactenus erga nostrum Ordinem demonstrabit, viuæ vocis oraculo supplebit quoscumque deffectus, iuris, & facti, quocumque modo commissos, in erectione confraternitatum sacræ Scapularis, quæ modo in Ecclesijs nostri Ordinis, quàm vltra, quàm cismontanis reperiuntur, omnesque, & singulas illarum validas, & legitimas, de potestatis Apostolicæ plenitudine esse, & haberi voluit; & in quantum opus esset, reualidabit, & de nouo erexit, ac instituit. Quæ vera esse, tenore præsentium attestamur, vt nullus deinceps de validitate eiusmodi confraternitatum ambigat. Datum Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ Transpontinæ, die vij. Augusti M.DC.LXXIII.

Fr. Matthæus Orlandus, Generalis Carmelitarum.

Fr. Angelus Monsignani, Prouincialis Bohemiæ, Secretarius Ordinis.

Concuerda con su original que queda en poder de nro. M. R. P. Prov.l a que me Refiero y lo firme

Fr. Joan ... de Riua... secretario de Prov.